

A P P E N D I X.

31

Decembri, D. Valterus-pertoldus, filius Johannis de Zuccula, posititis insidiis, cepit D. Odolricum de Castello in Strata alta, veniendo ipsum D. Odolricum de Trivisio, & capti fuerunt cum eo nisi duo ex suis, & duxit eos ad Trus. Et in sequenti die duxit eos Zucculam. Cepit vero eum, quod sui causa dicebat, se prodiisse locum suum de Speingenberch, & sibi dicebat: *fac mihi locum meum restitui, & ego dimittam te.*

De captione Castris de Budrio.

Anno Domini M. CCC. VI. D. Nicolaus, filius D. Henrici quondam de Budrio, die X. Jovis intrante Februario, cum gente D. Henrici Comitis Goriciæ, ceperunt locum, sive turrim, & partem Castris Dominorum Vodolici & Fratrum de Budrio, ejectis Dominibus. Et eodem die deprædati sunt villas circumiacentes, & sic muniverunt eumdem locum. Die VIII. tunc sequenti, gens Domini Patriarchæ cum Utinensibus, & Civitatenibus combusserunt villam de Budrio: & roncaverunt eos usque ad muros Castris; & his factis, eodem die inde recesserunt.

De villa de Trivignano.

Item die VIII. exeunte Februario, præscripto anno, D. Nicolaus antedictus cum gente Domini Comitis, & ibidem præsentibus Dominis, Rodulpho de Duino, & Johanne de Villalta, & aliis multis, non casu, sed studiose & voluntarie combusserunt Ecclesiam S. Theodori de Trivignano, ignem cum lanceis per fenestras ponendo. In qua Ecclesia combusserunt ultra L. inter mulieres, & pueros: & reperti fuerunt pueri parvi quamplures super Altare combusti. Cætera vero, videlicet Corpus Domini, Chrisma, & Oleum Sanctum, & alia ornamenta Ecclesiæ, quæ ibi fuerunt combusta, quis referat, nisi cum dolore & gemitu? Et in Festo B. Matthiæ tunc proximo sequenti, videlicet exeunte Februario, D. Henricus Comes Goriciæ, & alii quamplures ex Castellanis iverunt personaliter Trivignanum, & combusserunt Turrim Ecclesiæ: & unus puer, qui erat in turri, non valens descendere, projectis se per fenestras, sive per cancellos turris; & ita prædictis Dominis videntibus, dissolutis membris & separatis obiit. Et duo alii homines inde similiter se projecerunt, Postea combusserunt totam villam.

De Orsaria, & Premariaco.

Item prædicto anno, combusserunt villam Orsariæ, villam Præmariaci: & duxerunt secum multos captos ex rusticis Budrium, die VI. exeunte Februario.

Item XIII. die intrante Martio, venit gens Domini Comitis apud Utinum, quasi juxta portas: D. Paulus Bojani, qui erat Utini, currens post ipsos usque Predemanum, & D. Casmannus de Utino cum Utinensibus, & cum multis peditibus; & positis insidiis apud dictam villam Predemani, ceperunt unum ex Equitibus D. Pauli, & ex pedestribus circa LXXXIV. & mortui fuerunt circa quatuor vel sex. Et sic ipsis præliantibus ibi, vix D. Paulus evasit. Et etiam fuerunt quamplures vulnerati, & in terga verterunt.

De combustione villæ Galani.

Item XV. die intrante Martio, in Vigilia S. Helari, Comes Henricus cum suis sequacibus intravit villam Galani circa Tertiam: & venerunt in campum, qui est in capite campi, ubi astilu-

ditur. Residuus exercitus, dispersus per villam, tam equitum, quam peditum, combusserunt breviter totam villam, & Cararium, & Vadum: & roncaverunt majorem partem villæ usque ad burgum.

De adventu illius de Oustayn, & captione Budrii.

Item anno prædicto, die XI. Aprilis, Nobilis Vir D. Conradus Oustayn venit in Utinum in auxilium D. Ottoboni Patriarchæ, cum magna gente equitum. Qui D. Conradus erat Capitanus Ducum Carinthiaæ. Et de ipsorum voluntate & consensu venit in Forumjuli die præscripto, videlicet die Lunæ, & XIV. die Aprilis die Jovis, Rev. D. Ottobonus Patriarcha una cum de Oustayn, & Communitatibus, & paucis Castellanis fidelibus obsedit Budrium: & tertia die, scilicet die Sabbati tunc sequenti, summo mane expugnaverunt ipsum Castrum, & ante Tertiam ipsum ceperunt; nullo, Deo gratias, ex nostris ibi mortuo. Et ceperunt D. Nicolaum, & Fratres, & multos ex gente Domini Comitis. Et fuerunt capti bene C. & XXX. & plures; & duëti fuerunt Utinum. Deinde Dominus Patriarcha dedit illi de Oustayn ex Theotonicis quosdam: fecit duci in Carinthiam illos de Budrio cum quibusdam Theotonicis; & Lupo pessimo nepote D. Asquini, fecit recludi in Turri Glemonæ. Alii quamplures Utini remanserunt. Et præscripto die Sabbati, statim capto Castro, ipsum combusserunt: & misso pro Magistris, die Dominicæ funditus diruerunt. Et Dominus Patriarcha rediit Utinum.

De Castello.

Item anno prædicto, Rev. D. Ottobonus Patriarcha cum exercitu suo exivit Utinum, X. die exeunte Aprili, scilicet die Jovis: & obsedit Castrum Porpeti. Et quia ille de Castello, scilicet D. Odolricus, erat captus per illum de Zuccula, ut antea dictum est; D. Artuycus nepos D. Odolrici prædicti, cum uxore D. Odolrici, & aliis Dominibus, videntes quia se tueri non poterant, ad mercedem & gratiam Domini venerunt: & Dominus posuit ibi banderam suam, & dimisit ibi aliquos de familia sua. D. Artuycus prædictus renunciavit juri seu compositioni, imo potius conspirationi factæ cum Domino Comite, & D. Rizardo, & aliis Castellanis contra Dominum Patriarcham; & promisit nomine Sacramenti, in perpetuum non venire, nec facere contra Dominum Patriarcham & Aquilegiensem Ecclesiam: super hoc præstitis bonis securitatibus. Et ita Dominus Patriarcha rediit eodem die Sabbati Utinum: & prædictus D. Artuycus venit eodem die cum gente sua servire Domino Patriarchæ.

De obsidione Castris de Urspergo.

Item anno præscripto, D. Ottobonus Patriarcha die IX. exeunte Aprili, misit Ven. Fratrem Albertum, Vicarium suum generalem, Civitatem: & octavo die exeunte dicto mense, Civitatenenses obsederunt Castrum prædictum de Urspergo: & de Antro de Tulmino venerunt multi ad obsidionem prædictam. Rustici de Villis, qui erant in Civitate, propter verram roncaverunt ibi omnia; secum ferentes in curribus ligna Civitatis, aliquando bis, aliquando ter in die ibi revertentes. Et hoc duravit usque ad diem V. Maii. Et recesserunt ab obsidione dicti Castris die V. Maii propter trevas factas, ut inferius continetur.

De